Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-564828-p0001-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-564828-p0002-7

DISSERTATIO ANATOMICA

De

IECORE

Quam

Divina favente gratiâ

In inclyta Argentoratensi Academia

SUB MODERAMINE

JOANNIS ALBERTI

SEBIZII, MEDIC. DOCTORIS,

ANATOM. ET BOTAN. PROFESSORIS

ORDINARII,

In solenni Eruditorum congressu defendere

conabitur

FERDINANDUS RAYGER,

Viennensis-Austriacus.

Ad d. 21 Mensis Iunij.

ARGENTORATI,

Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. LV.

35.

1655 17.

35.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-564828-p0004-8

Positio prima.

TAmetsi in corpore humano, quod reliquorum omnium, tùm ratione temperiei, tùm mirabilis partium inter se proportionis veluti mensura quædam est & exemplar, nulla ferè extet particula, quæ non divini Protoplastæ sapientiam, Naturæque ἀδιδάκτου καὶ ἄ μαθούσης, ut *Hippocr. l. de alim. & l. 6. Epid. s. 5.* ait, ingenium, solertiam, singulareque commendet artificium, ex pluribus tamen JECUR est, de quo illa haud levem suscepisse curam videtur.

2. Fidem faciunt tùm visceris hujus dignitas & excellentia, tùm usus ejus atque officium.

3. Dignitas quidem, quòd non modò secundum divini senis sententiam *l. 1. περὶ γυναικείων*, sit ἐκμαλεῖον, gratiosi humoris fons, omnium venarum origo, & velut εὐκαρπῶν γῆ, terra frugifera, è qua omnes in universum partes suum pro nutritione prolectant alimentum, sed etiam insuper, benè si se habeat, fundamentum quasi principatuum ac facultatum, totius corporis œconomiam gubernantium.

4. Usus verò atque officium, quoniam attestante summo artis Dictatore *l. de alim.* est αἱματώσεως θησαυρισμὸς, thesaurus & officina sanguinis, cujus tàm varii multiplicesque fructus in omne corpus redundant, ut de nulla re magis, quàm de procreatione & custodia illius sagax providaque Natura fuerit sollicita.

5. Hinc factum, ut ſanguis à priſcis medendi artificibus variis honorum titulis fuerit condecoratus, & modò melior vitæ Theſaurus ab *Authore lib. de vivor. anat. c.* 1. nunc fomentum caloris nativi vivificique Nectaris, ut *Galen. l. de curand. rat. per ſanguin. miſſ. c.* 5. docet, appellatus, imò nomine dilecti Naturæ Filii inſignitus.

6. Neque id immeritò. Eſt enim ſanguis, non tantùm commune omnium partium nntrimentum, cujus beneficio, quicquid ſingulis propemodùm momentis vi nativi caloris conſumitur, inſtauratur, ſed & materia tùm lactis, quo fœtus in lucem editus ſuſtentatur, tùm ſeminalis humiditatis, ex qua ſpecies perpetuatur, tùm denique ſanguinis arterioſi, & ſpirituum, ſine quorum miniſterio Anima ſuas nequit in corpore exercere functiones.

7. Idem quoque ſanguis tàm benignus eſt humor, ut Natura illum, ceu ſalutare quoddam ad partes dolore vexatas adhibeat remedium. Ea namque noxam partium ex dolore imminentem declinare ſtudens, cum ſanguine & ſpiritu illicò accurrit, ſicque illis ferendo ſuppetias, eas, quandiu licet, ab interitu ſalvas atque incolumes conſervare ſatagit.

8. Cum itaque Natura de procreatione & tutela ſanguinis curam gerat ſingularem, JECUR verò ille ſit fons, à quo roſeus hic cruor dimanat, placuit fabricam illius & ſtructuram intimiùs contemplari, idque non tantùm ob rationes paulò antè allatas, ſed etiam propterea, quoniam nullum ferè morbi ſymptomatiſque genus exiſtit, cui Hepar non ſit obnoxium; adeò ut hanc ob cauſam Medici quoque curam exigat, quæ perfici ritè nequit, niſi ſtructura ejus probè cognita ſit atque perſpecta.

9. Non enim in curatione morborum ſolùm reſpicien-

ſpiciendum eſt ad indicantia, à morbo, ejus cauſa, & virtute petita, verùm etiam, quemadmodum patet ex *Galeni method. med. l. 3. c. 8. l. 7. c. 6. l. 5. cap.* 11. *& ſeqq.* diligens habenda ratio ſubſtantiæ, magnitudinis, dignitatis, officii, ſitus, temperaturæ, ſenſus, figuræ & conformationis illius partis, cujus ægritudines curantur, ut ſciatur, quænã qualia, & ubi remedia *illi ſint* applicanda, quomodoque ea pro diverſitate harum circumſtantiarum mutanda.

10. Quoniam autem, ut *Xenophon in œconomicis* ait, οὐδὲν οὕτως εὔχρηστον, ὅτε καλόν ἐστιν ὡς ἡ τάξις, nihil tàm utile, tamque pulchrum eſt, quàm digeſtus ordo, ideóque doctrinæ melioris & majoris perſpicuitatis gratiâ duas diſputationis noſtræ partes conſtituemus. In priore tractabimus ea, ad quæ ſenſus penetrat, iis comprehenſa rebus, quibus Jecoris compages abſolvitur. In poſteriore verò nobiliores quaſdam de Hepatis principatu, uſu & officio controverſias enodabimus, quæ ſenſum fugientes, ſola mente apprehenduntur.

11. Ne autem illotis, quod ajunt, manibus ad præſens inſtitutum accedamus, lubet in veſtibulo nonnihil γραμματίζειν.

12. *Jecur* igitur dictum, ut *Iſidorus l.* 11. *origin. c.* 1. credit, quòd ignis ibi ſedem obtineat, qui in cerebro ſubvolat, inde ad oculos, cæteroſque ſenſus & membra diffunditur, & calore ſuo ad ſe ſuccum ex cibo tractum vertit in ſanguinem, quem ad uſum paſcendi nutriendique ſingulis membris præbet. Ex aliorum verò ſententia inde quoque nomen accepiſſe videtur, quòd ſit juxta cor, proximum ſcil. à corde viſcus. Vel quòd juxta cordis vires ſuam exerceat poteſtatem.

13. Græcis ἧπαρ vocatur, παρὰ τὸ ἐπῆρθαι καὶ κεκυρτῶσθαι, quòd in gibboſam figuram erigatur. Vel, ut

quidam existimant, ἀπὸ τῆς ἡπανίας τῶν ἄλλων τȣ̃ σώματος μορίων, ab indigentia & inopia, quòd benignitate sanguinis, quem conficit, omnium partium penuriæ succurrat, iisque Regis instar alicujus munificentissimi de commeatu prospiciat.

14. Sunt, qui παρὰ τὸ ἴσσω τὸ εὐφαίνομαι, à lætando originem traxisse autumant; idque non sine ratione. Hepatis quippe εὐκρασία bonum producit sanguinem, qui si cæteris humoribus prædominetur, & purus sit ac laudabilis, homines reddit affabiles, facetos, hilares, in risum pronos, ingeniosos, & ad quasvis Animæ functiones obeundas aptos atque accommodatos.

15. *Platonici* concupiscentiæ, amoris libidinisque sedem in Jecore agnoscentes, ἀπὸ τȣ̃ ἐφίεσθαι, quod est cupere, appetere atque desiderare, id nomen suum ducere arbitrantur: hâc permoti ratione, quòd in illo focum suum obtineant appetitus varii, attrahendi videlicet chylum, conficiendi & alterandi sanguinem, denique genita abhinc excrementa propellendi, sanguinemque per varias corporis partes distribuendi.

16. Atque hæc de nomine. *Progrediamur nunc ad ipsius jecoris structuram*, in eaque tùm accidentia, tùm partes substantiales, fabricam illius constituentes, perpendamus.

17. Ex accidentibus primò se offert *magnitudo*, quæ in longitudine, latitudine & profunditate tanta est, ut non modò universum dextrum hypochondrium occupet, sed & interdum ad umbilicum usque protendatur.

18. Cur verò tàm vasta ejus sit moles, causas Anatomes periti duas comminiscuntur: unam à temperamenti caliditate & humiditate; alteram verò à diversitate functionum in corpore exercendarum petitam.

19. Cu-

19. Cutis etenim, cùm rara sit admodùm, laxa, crebrisque foraminibus cribri instar pervia, efficit, ut singulis ferè momentis aliquid de triplici corporis substantia decedat; ideóque ne ob assiduam substantiæ hujus fluxionem harmonia corporis brevi dissolveretur, decuit ampliorem esse Jecoris molem, ut tantum rursus novi in eo succi procrearetur, quantum quotidie per patentes cutis poros à calore fuisset deperditum. Quinetiam actiones homini edendæ, directæ & πρὸς τὸ εἶναι, & πρὸς τὸ εὖ εἶναι, tale Jecur requirebant. Plurimo namque egent spiritu, qui non nisi à copioso producitur sanguine, cujus fons & officina Jecur esse dicitur.

20. Neque tamen omnibus eadem hepatis est magnitudo, sed, sicut ætatum, complexionum, habitusque corporis per magna varietas occurrit, ita quoque harum circumstantiarum ratione in Jecoris magnitudine notabile est discrimen. Qui enim ampliorem sortiti sunt corporis molem, majus, qui minorem, minus acceperunt à Natura hepar; propterea quòd ad vastiorem corporis molem plenius requiratur nutrimentum: parcius autem ad gracilem atque attenuatam.

21. *Numero* unicum est Jecur. Plura enim contineri citra impedimentum non possent in dextro hypochondrio. Ex adverso tamen lienem positum habet, quem *Aristoteles* ob sanguinis confectionem nothum spuriumque Jecur appellat.

22. *Temperamento* calidum est & humidum; quoniam carne constat parenchymatica, quæ pars est sanguinea, & consequenter calida humidaque qualitate prædita.] Calidum autem esse decuit, tùm ut ventriculi, cui incumbit, suique ipsius promoveret concoctionem, tùm ut vi sua calefaciente sese exhibens alimentis eorum calorem

lorem ad meliorem ſubactionem intenderet. Humidum conſimiliter eſſe oportuit, ut gratioſo, benignoque ſuo humore mediantibus venis, tanquam canalibus & aquæductibus, omnes totius corporis partes irrigaret.

23. *Colore* rubrum eſt, redolens naturam illius humoris, quem partim procreat, partim in ſui nutritionem convertit.

24. *Figuram* Hepar certam & peculiarem nullam obtinet, ſed exteriori facie parte ſupernâ gibbum apparet, læve, rotundum, inſtar laconicæ teſtudinis, & æquale, ne diaphragmatis motui incommodet: interiori verò & inferiori, cavum eſt, ut ventriculi partem ſuperiorem complectatur, ejuſque foveat calorem. Jnæquale item & variis protuberantiis, velut promontoriis quibuſdam exaſperatum, tùm ad venæ portæ exitum, tùm propter folliculi fellei ſitum. Dextra inſuper ſui parte rotundum cernitur, ſiniſtrâ verò ſenſim attenuatur, terminaturque in acutum quaſi angulum. Non tamen in 5. aut 6. lobos, ſive pinnas, quemadmodum *Hippocr. l. de oſſ. natur.* credidit, ſecatur, quarum primæ *foci*, ſecundæ, *menſæ*, tertiæ *cultri*, quartæ *aurigæ*, *Theophilus*, quanquam ſine probabili ratione, nomen impoſuit. Continuum quippe eſt; rimam duntaxat habet in medio, quam διαφαγὴν *Herophilus* appellat, *Latini* fiſſuram, è qua vena umbilicalis, quæ embryonis in clauſtro materno delitescentis nutricula dicitur, egreditur; parte verò poſteriore portiunculam quandam protuberantem.

25. *Cavitates*, quemadmodum Cor & Cerebrum inſignes & effatu dignas non agnoſcit: plexus ſolum ei natura conceſſit, ne humorũ maſſa confeſtim elaberetur, ſed ut in illis, ceu in Dædaleis labirynthis moraretur diutius, perfectumque concoctionis gradum adipiſceretur.

26. *Con-*

26. *Connectitur* Hepar non uni, ſed variis corporis particulis. Etenim convexa & elatiore ſui ſede diaphragmati & cartilagini enſiformi applantatur; cava ſui parte ventriculo: lieni & inteſtinis per ramum ſplenicum & truncum meſentericum: umbilico per venam umbilicalem: folliculo felleo, interjectu membranæ tenuiſſimæ: lumborum vertebris, mediante vinculo validiſſimo, & ſpuriarum coſtarum cartilaginibus ope fibroſorum nexuum adalligatur. Jungitur inſuper cerebro per nervos, & cordi per arterias. Ut rem verbo abſolvam, nulla ferè pars eſt corporis, cui non ratione venarum Jecori aliquid intercedat commercii, adeò, ut hoc nomine, perinde ac cerebrum ejuſque meninges, haud abſurdè illud in omni regione corporis reperiri dicatur.

27. *Situm* Hepar obtinet in Abdominis hypochondrio dextro, totum ſub coſtis ſpuriis, tanquam loco tutiſſimo, & Diaphragmate reconditum, à quo tamen transverſi digiti intervallo diſtat, ne motui ejus ſit impedimento.

28. *Actionem* Jecur geminam edit, unam publicam & officialem: alteram verò privatam. Jlla ad ſalutem totius corporis comparata eſt, verſaturque circa chyli attractionem, ſanguinis exinde generationem, expurgationem, & poſteà ejuſdem per utraſque, cavam ſcil. & portæ venas, diſtributionem, pro nutritione ſingularum humani corporis partium. Poſterior Jecoris propria eſt, ſollicita de attractione, retentione, concoctione, aſſimilationeque materiei illius, quæ ſibi pro nutricatione apta eſt atque conveniens.

29. Quinetiam uſu extra actiones haſce præditum eſt ſingulari. Præterquam enim quòd vaſis affundatur, ne implicentur, eaque inſtar alicujus pulvinaris & mollio-

oris ſubſterniculi fulciat ſtabiliatque, calore quoque cujus eſt pleniſſimum, ventriculi, inſtar ignis ſibi adjacentis, promovet concoctionem.

30. *Paſſionibus* Jecur patet quamplurimis. Quotquot autem earum exiſtunt, partim Morbi; partim ſymptomata eſſe conſueverunt.

31. *Ex morbis*, & quidem ſimilaribus, *intemperies* quævis, ſimplices pariter & compoſitæ, frequentius tamen calida, & frigida Epar exercent: quarum qualitatum ratione & aliis aliarum partium functionibus obeundis non parum officit.

32. Quibuſcunqne enim Jecur naturâ calidius eſt, iis utplurimum ventriculus eſt debilis, maléque concoquunt, & defluxionibus multis ſunt obnoxii. Cauſa harum dari poteſt triplex. Primò, quòd è calidiore Jecore, vel ut è fervido quodam buſto, multi ſuſcitentur halitus, qui cerebri frigida intemperie denſati, vertũtur in Aquas. Deinde quia tale Hepar ventriculum reddit frigidiorem debilioremque. Etenim pinguedinem omenti & abdominis conſumit & muſculos illius graciliores reddit. Hinc ventriculus ſuo fomento & tegumento orbatus coquit deterius. Tertiò, Quia Hepar æſtuans præpoperè cibum rapit ex ventriculo, & illum quidem adhuc crudum atque inconcoctum, ex quo magna crudorum vaporum exurgit copia, catarrhorum mater valdè fœcunda.

33. Neque verò vulgari ſemper intemperie contaminatur, ſed & etiam ſæpenumerò ex bilioſa quadam ſanie, ut inquit *Fernelius l. 6. de part. morb. & ſymptom. c. 4.* per illius ſubſtantiam effuſa, ibidemque ſenſim putreſcente, tantam ſubit corruptionem, ut ſubſtantiam ejus propè in totum abſumptam, illius loco putrilaginem quan-

quandam fœtidiſſimam, ac purulentiam tanquam marſupio concluſam nonnulli obſervârint.

14. *Ex morbis diſſimilaribus*, Epar vitiis in figura, meatibus, magnitudine, numero, ſitu denique & poſitione eſt obnoxium.

35. *Figuram* Jecoris vitiatam notavit *Iacobus Sylvius*. Hic enim in *Iſagog. Anatom. l.* 3. *c.* 6. ſcribit, ſe deprehendiſſe Jecur ex 4. lobis, magnis duobus, totidemque parvis conflatum, atque horum ſingulos conſtitiſſe carne ſuâ, ſanguinis effectrice, venæ portæ & cavæ ceu radicibus mutuò ſeſe oſculantibus, ſtomachis cholidochis inter illas radices mediis, arteria partem ejus ſimam diſſlante, membrana totum viſcus ambiente, nervulum tùm à coſtali, tùm à ſtomachico recipiente, hypochondrio dextro ſuppoſitum fuiſſe.

36. Refert *Eraſmus l.* 15. *Epiſtol. p.* 485. repertum fuiſſe in quodam *Londinenſi Theologo* poſt diſſectionem hepar, extremas fibras cirrhis prominentibus hirſutum habens.

37. Narrat *Cyriacus Lucius de obſerv. propriis*, in diſſecto quodam ſe hepar globoſum, juſto minus, & unà cum diaphragmate in pectus ad mammillam dextram uſque aſcendens, oſtendiſſe.

38. *Obſtructiones* ipſi Jecori, & propter viarum anguſtiam, & copiam transeuntium humorum, qui ſæpè etiam lenti ſunt, craſſi atq; glutinoſi, adeò familiares ſunt & cõſuetæ, ut nullum viſcus æq; illis corripiatur, plurimorum affectuum *Avicennæ* judicio. *l.* 3. *fen.* 14. *tr.* 2. *cap.* 4. genitrices fœcundiſſimæ. Ex illis enim diſtributionis impedimentum, ac plenitudinis collectio in meſenterii, ſimarumque viſceris partium venis ſequitur. Quo in caſu periculum rurſus eſt, ne aut phlegmone accedat partium,

in quibus facta collectio fuit; aut quemadmodum *Galenus lib. de bon. & mal. succ. cibis c.* 2. loquitur, redundantium humorum putredo.

39. Impedimentum autem distributionis macies & extenuatio corporis, propter alimenti defectum, comitatur. Viarum interceptioni prohibitio transpirationis & ventilationis supervenit. Hæc putredinem parit, quæ tandem febrem accendit.

40. Obstructionem Jecoris etiam morbus regius excipit: præsertim si obstruens materia meatus ad vesiculam felleam pertinentes occupet. Tùm enim biliosum excrementũ à sanguine non repurgatur: sed unà cum eo per totum corpus diffunditur. hincq; icterus generatur.

41. Ex eodem fonte *vitia in magnitudine* exurgunt. Etenim si diuturnæ & magnæ Jecoris fuerint obstructiones, tumores, scirrhosi præcipuè & hydropes metuendi. Illi quidem, quando obstruentes humores, subtilioribus eorum portionibus, vel à calore Jecoris, vel medicamentis calefacientibus & siccantibus, dissipatis indurantur. Hi verò, cum bonam Jecoris temperiem destruunt, & illius calorem vel suffocant: vel frigidi si sint, frigiditate sua extinguunt. Unde sanguificationis frustratio, deinde Hydrops. Si verò leviores, neque effatu dignæ extiterint obstructiones, ob causas paulò antè commemoratas abscessus tantùm oriuntur, in quibus materia sevo similis interdum continetur, nullo, ut *Fernel. l. 6. de part. morbis & symptom. c. 4.* ait, difficili decubitu, ut in tumoribus, præsertim si insigniores sint, fieri solet, nulloque dolore molesti.

42. Corpus sine hepate, quod vitium morbis *in numero deficiente* connumeratur, fuisse repertum in mercatore quodam Antvverpiensi, cui *Ortelii* nomen erat,

author

author eſt *Schenckius l.* 3. *med. obſerv.* 7. In eo enim dum ipſius corpus aperiretur, ut conſtaret de ſede affectus, (laboraverat autem aliquot antè annis hydrope) ne veſtigium quidem Jecoris & Lienis ſub diaphragmate, coſtisque ſpuriis apparuiſſe ſcribit. Refert autem, ſubſtantiam inteſtinorum fuiſſe carnoſam, multoque ſolidiorem, quàm fibroſam muſculorum carnem, adeò, ut ſoliditate parenchymaticæ cordis ſubſtantiæ ferè nihil cederet: ipſam quoque venam cavam ex inteſtinis ſuam duxiſſe originem, eo ferè modo; quo vena porta in inteſtina ſolet implantari. Atque hanc cauſam fuiſſe dicit, quòd toties inflammatione & abſceſſu inteſtinorum laborârit; Facilius enim, carnoſum quod eſt, quàm quod membranoſum, inflammatur & abſceſſibus torquetur, idque propterea, quoniam carnoſæ partes plus ſanguinis, membranoſæ verò atque ſpermaticæ minus illius participant.

43. *Numero* exceſſiſſe hepar, teſtatur *Cornelius Gemma, qui l.* 2. *art. cyclognom.* duplex ſe vidiſſe affirmat.

44. *Situm* mutaſſe Jecur, inque hypochondrio ſiniſtro, Lienem autem in dextro collocatum fuiſſe, idem *Gemma* narrat. Cui ſubſcribit maximi quondam nominis in Italia Medicus *Fabricius ab Aquapendente*, qui, dum Patavii molitoris cujuſdam corpus ſecuiſſet, inverſum quoque in eo à natura Lienis Hepatiſq; ſitum quodam quaſi miraculo obſervavit.

45. *In connexione* vitium aliquod Jecoris notavit *Columbus l.* 15. *Anatom.* cui hepar quandoque ſeſe peritonæo adnexum, inſpiciendum obtulit.

46. *Ex morbis ſolutæ unitatis ulcera* Jecori funeſta ſunt; tantò quidem magis, quantò eorum cauſæ fuerint vehementiores. Hæ enim, ſi nimis acres mordaceſque extiterint, adeò corrodunt nonnunquam hepatis

carnem, ut nonnulli, inprimis verò *Iacobus Zuingerus* asseverârit, sibi visum fuisse quendam hepaticum, inflammatione exulcerata decumbentem, qui carneas portiunculas cruentatis fæcibus mixtas alvo dejecerit. Ejusmodi verò portiones non sanguinis extitisse grumos, testatũ fecisse massam illam pertinaciter aquâ injecta sibi cohærentem, fibris quoque implicitam.

47. Quemadmodum autem ulcera jecoris periculosa sunt, ita & *vulnera ejus*, maximè si profunda sint, crassiorique illius parti, qualis media est, inflicta, attestante *Hippocr. Aph.* 18. *sect.* 6. *& l.* 2. *prorrhet.* lethalia sunt, & ἀνίατα, tùm propter visceris nobilitatem, utilitatem, necessitatem atque officium, quo impedito & intercepto, homo expirare cogitur: tùm ob situm, qui efficit, quo minus remediorum vulnerariorum vis & facultas ad hepar integrè penetret, & pus sordesque commodè expurgari queant: tùm denique propter supervenientia symptomata, qualia sunt enormis hæmorrhagia, inflammatio, sanguinis, puris, saniei in abdominis cavitatem defluxio, atque exinde nata febris & putredo.

48. Quod si jam *ad commemorationem symptomatum*, quibus Jecur infestatur, pedem promoveamus, quædam eorum in albo læsarum functionum, alia in mutatarum corporis qualitatum, nonnulla in excretorum retentorumque p. n. ordine contineri comperiemus.

49. *Ex functionibus læsis* duo numerantur, Sanguificationis nimirum frustratio, & hepatis dolor.

50. Labefactatur sanguificatio modis duobus, vel in quantitate, vel in qualitate. In quantitate, cum aut diminuitur, aut prorsus aboletur. In qualitate verò, cum corrumpitur & depravatur.

51. *Imminutæ sanguificationis* symptoma est, cum ob de-

ob debilitatam facultatem retentricem, vel infirmiorem redditam ejusdem concoctricem, loco boni laudabilisque sanguinis crudus & aquosus procreatur. Appellatur vitium istud ἀτονία jecoris, aliàs fluxus hepaticus, propterea quòd eo laborantes, per alvum dejiciant sanguinem, similem loturæ carnium recens mactatarum.

52. *Abolitæ αἱματώσεως* symptoma videre licet in hydrope, non quidem omni, (excipitur enim hîc ἀνασάρκα, utpote in qua, quicquid humoris generatur in Jecore, sub sanguinis, quanquam crudioris & semicocti formâ & idea adhuc continetur, membrisque nutriendis allabitur,) sed in ea illius specie, quæ ascites vocatur. Nam in hoc propter intemperiem aliquam jecoris, maximè verò frigidiorem, diutiusque perseverantem loco benigni sanguinis multum seri generatur; quod cum tenue sit, fluxile & aquosum, partibus nutriendis neque assimilatur, neque in earum facessit substantiam; unde partes corporis superiores suo quasi defraudatæ genio macie contabescunt; inferiores verò distenduntur & intumescunt, delabente nimirum sero in vacuum abdominis spatium, & ex hoc in pedes.

53. *Depravatur sanguificatio*, cum ob fervorem & incendium hepatis, sanguis à mediocritate desciscens, aduritur, à quo deinceps cutanei quidam affectus, ut scabies, impetigo, psora, erysipelata, cancri, furunculi, terminthi, aliique oriuntur.

54. *Dolet hepar* nonnunquam, non quidem ratione carnis suæ parenchymaticæ, quæ aut nullum, aut certè exiguum, perinde ut alia viscera, sensum obtinet, verùm ratione membranæ extrinsecus parenchyma tegentis. Hæc enim, quando vel à flatu, vel à pituitosa materia in flatum conversa distenditur, divelliturque à parenchy-

matis

matis adhæsu, dolor exurgit, quem febris superveniens, interdum caliditate sua discutit atque dissolvit, quemadmodum hâc de re disseruit *Hippocr. Aph. 52. sect. 7.*

55. Quæ verò *symptomata in mutatis qualitatibus* Jecori obtingunt, in visibilium atque etiam tactilium genere numerantur. In *mutatis visibilibus*, colores p. n. Jecur fœdare solent, qui, quantò pejores fuerint, tantò deteriorem illius, ut etiam humorum dispositionem indicabunt. *Nigricans* enim sphacelismum significat, propter interitum nativi caloris. *Lividus*, cinereus, aut alio modo vitiatus, effatu dignam aut intemperiem, aut obstructionem ingentem, aut substantiæ corruptelam denunciat.

56. In *mutatis tactilibus*, durities notanda venit, quæ, quantam hepati perniciem minetur, divinus senex *Aph. 42. sect. 6.* declarat, cum inquit, *Regio morbo laborantibus Iecur durum fieri, malum.* Denotat enim vel inflammationem, vel scirrhum: quorum utrumque exitiosum est & lethale. Inde enim hydrops, & tandem mors expectanda.

57. Quæ denique ex *Retentorum Excretorumque* familia resultant in Jecore symptomata, Vermes sunt, lapides & calculi, partim in eo geniti, partim etiam ab eo exturbati.

58. Vermes genitos fuisse, *Ioannes Wierus de præstigiis Dæmon. l. 4. c. 16.* recenset. Cum enim Monspelii filius ejus, cadaver hydropicæ cujusdam aperiret, duos ait eum in Jecore illius puellæ deprehendisse vermes, spithamæ longitudinem æquantes, quorum unus meatum, vesicæ bilariæ insertum occupaverat; alter verò in ipsum hepar progressus, gibbum illius obsederat, capite membranam attingente.

59. Ita

59. Ita quoq; *Caspar Bauhinus de observ. propr.* in pueri cujusdam hepate, dùm exenteraretur explorandi causa, num morbilli, qui internecionem ipsi attulerant, interiores quoque partes oblæsissent, vermes plurimos in ipsis venæ portæ ramis, intra hepatis parenchyma adhuc subsistentibus, notavit; alios quidem viventes adhuc, alios verò emortuos, colore rubros, & pro ratione loci, in quo continebantur, oblongos, satis item magnos, sed ad tactum molles, & quo ad superficiē ratione corporis, inquo geniti, gibbosos.

60. Arenulas copiosas, lapides & calculos figura & colore diversos in hepate, ejusque venis generatos, qui difficilimos & immedicabiles morbos, icterum nimirùm & hydropem, cum gravissimis symptomatibus, mortem denique ipsam acceleraverint, deprehendit *Rembertus Dodonæus.*

61. *Peucerus* memorat *l. de præstig. Medic. pag.* 301. cuidam Lutetiæ Parisiorum extincto, dùm evisceraretur, lapidem è Jecore magnitudine insignem fuisse excisum, quod ipsum etiam attestantur ~~Cornelius~~ *Rhodiginus l.* 4. Coelius *cap.* 17. *antiquar. lect. Cardanus l.* 8. *de rerum varietate, Scaliger. exercitat.* 108. *Dominicus Leonus de arte Medendi l.* 5. *cap.* 6.

62. Neque prætereundum, quod scriptum reliquit *Felix Platerus in observ. propr.* ubi fatetur, se præter arenulas, nunc exactè rubras, nunc cinereas, nunc flavas, calculosque variè coloratos & effigiatos, tophum coralloidem ramosum, album, cavum, intrinsecus & sanguine atro refertum ex hepatis substantia exemisse, atque hæc documento fuisse, multas hepatis obstructiones, duritiesque, quas cachexia & hydrops sequuntur, non solùm ab humoribus, sed etiam ejusmodi corporibus ortum tra-

 xisse,

xisse, quæ tamen in molem aliquam adaucta, cùm è corporibus viventibus nec extrudi sponte, nec eximi ulla arte potuissent, abstrusa nobis incognitaque mansissent, atque unà cum ægrotante fuissent sepulta.

63. Hepatis parenchyma posse frustillatim alvo reddi, planum facit *Hieronymus Mercurial. Crato l. 2. Consil. & Epistol. Hieronym. Reusnerus. in Schol. cap. 19. VVittichius de urin.* quo loco per urinas quoque excerni nonnunquam docet.

64. Sed ne diutiùs affectionibus Jecoris immoremur, ad *enumerationem eorum, quæ Iecur, prout pars est organica & dissimilaris*, constituere solent, nunc transitum faciamus.

65. Ex illis autem primò visui sese exhibet *membranula*, quæ tenuissima est ac simplex, à peritonæo, tanquam cõmuni omnium in abdomine existentium membranarum matre, enata. Arctè hæc adeò Jecoris carnosæ substantiæ jungitur, ut, si separetur alicubi, (quod tamen παρὰ φύσιν accidit,) excidente è vasis aquosa materia, & inter ipsam & carnem collecta, ὑδατίδες, Latinis aquulæ generentur; quibus apertis, effusoque sero in vacuum abdominis spatium, nonnunquam hydrops ille, quem Asciten vocant, emergit, ut *Fernelius* monet.

66. Sub hac membrana Hepatis *caro*, quam *Erasistratus* olim παρέγχυμα, Latini aliàs affusionem, quòd vasis quasi affundatur, & spatia inter hæc repleat, appellant, prodit in conspectum. Ea verò quoniam rubra est, & mollis, sanguinis velut ardore tosti similitudinem gerit, ac propriam visceris molem substantiamque constituit, quam *Galenus l. 4. de usu part. c. 17.* primarium sanguificationis instrumentum vocat. Est enim parenchyma præcipua hepatis pars, & quidem similaris, cui simi-

lis

lis in corpore reliquo nulla conſpicitur: tali verò *Galenus* ſemper actionem organi principaliter tribuit.

67. Per totam autem viſceris ſubſtantiam *venæ* diſperguntur, tàm à Cava, quàm à Portæ vena in illam (quod nulli aliàs neque viſceri, neque parti à Natura tributum) exporrectæ, miroque artificio ſic contextæ, ut in parte illius concava triplo plures numerentur venæ portæ ſurculi, quàm cavæ: contrâ verò in convexa ejus ſede pauciores propagines venæ portæ, quàm cavæ ſint conſpicuæ. Omnes tamen per mutuas radicum ſuarum exoſculationes (quemadmodum apertè in Jecore Embryonis videre eſt) ſic junctæ & copulatæ ſunt, ut ex Porta in cavam, & viceversâ, ex hâc in illam humoribus pateat via. Quorum equidem plexuum utilitas eſt inſignis. Etenim, cùm ſanguis commune ſit totius corporis nutrimentum, noluit Natura ſagax, ut præproperè elaberetur è Jecore. Sic enim ob imperfectionem partium deſiderio non ſatisfaceret, eò quòd crudus adhuc ab illis attraheretur; ſed remoras poſuit, plexuſque condidit vaſorum complures, in quibus ſanguis & perfectiùs coqueretur, elaboraretur que exquiſitiùs, & undiquaque à parenchymatis contactu alteraretur, neque impetuoſè, ſed propter vaſorum horum divaricationem lentè quaſi per univerſum corpus diſtribueretur.

68. Venis autem per carnoſam Jecoris ſubſtantiam diſſeminatis comites aſſiſtunt *arteriæ*, pauciſſimæ tamen, à dextro cœliacæ ramo emergentes, & in ſimam hepatis partem, quo loco vena portæ egreditur, diſperſæ. Harum uſus eſſe creditur, ut hepatis nativum calorem ventilando contemperent, inſitumque illius Spiritum foveant atque ſuſtentent. Unde cavam Jecoris tantùm attingunt, gibbam verò nequaquam, propterea quòd hujus calor

& ſpiritus à diaphragmatis motu quaſi flabello quodam ſatis ventiletur. Hinc non immeritò *Hippocr. l.* 1. *de morb. mulier.* diaphragma διαφνῦν τῆς κατω κοιλίης, reſpiratorium imi ventris appellat.

69. *Nervi* quoque duo adſunt, iique exiles, à ſexta conjugatione nervorum prodeuntes, per Jecoris tunicam diſſeminantur. Horum alter à ramo, qui ad ſuperius orificium ventriculi tendens, nervos ſtomachicos dictos conſtituit, transmittitur: alter verò à ramo illo, qui per radices coſtarum dextri lateris excurrit, ortum trahit, ſpiritumque animalem pro ſenſu communicat.

70. *Hactenus de ſtructura Iecoris.* Videamus modò quænã illa ſint in Epate, ad quæ non ſenſus, ſed mens ſola penetrat. Quæſtio igitur hic primò oriri poſſet, *Num Iecur, an verò Cor ſanguificationis ſit* ἐργαστήριον *& officina.*

71. De hoc quæſito *Peripatetici* cum *Galenicis* contentionis ſerram quam maximè reciprocant. Jlli enim hoc muneris cordi ferunt acceptum, voluntque, Cor ſanguificationis omnis eſſe principium: hocque ſuum placitum & Authoritate confirmare nituntur, & Rationibus.

72. Pro *Authoritate* in medium producunt *Ariſtotel.* qui variis in locis præcipuè tamen. *l.* 2. *de part. animal. cap.* 1. & *lib.* 3. *de part. animal. cap.* 4. hepar excludit, cor verò tantùm principium ſanguificationis eſſe aſſerit.

73. *Rationes* verò ad ſententiæ ſuæ confirmationem adducunt ſeqq. I. Quia in hepate nulla eſt cavitas: ſed venarum tantùm plexus. Nulla ergò in eo officina. Ubi enim eſt officina novæ alicujus & officialis coctionis, ibi ſemper cavitas requiritur: quemadmodum in ventriculo, in Corde, in Cerebro manifeſtè conſpicitur.

74. II. Quoniam Cor primum eſt vivens. Ergò & pri-

primum nutriens: quia vivere & nutriri unum sunt. Nutriens autem primum est, & quod primum nutriatur: & quod cæteris partibus alimentum suppeditet. Si hoc, sanguinem certè suppeditabit: cùm is omnium partium commune sit alimentum. Erit ergò sanguinis officina in corde: ex quo in omnes partes derivabitur.

75. III. Quia sanguis nullibi extra venas in ventre continetur, præterquam in corde. Statim enim extra venas putrescit & in grumum vertitur. Ergò sinus cordis propria sunt sanguinis conceptacula, & per consequens sanguificationis officina.

76. IV. Quoniam in animi pathematibus, ut metu & tristitia, quæ affectus sunt cordis, sanguis refugit ad cor, non ad hepar. Ergò ibi fons est sanguinis.

77. *Contrarium verò Galenici* defendunt, existimantes, hepar alimentarii sanguinis esse officinam, hocque planum facere conantur aliquot argumentorum momentis. 1. Quia ubi excrementorum receptacula, ibi verisimile est concoctionis adesse officinam, aut saltem non longè abesse. At in hepate, & non longè ab hepate, supervacuorum αἱματώσεως apparent omnia receptacula, vesicula fellea, lien, renes, vesica. Ergò ibi concoctionis officina.

78. Deinde; Quia sanguificatio nunquam labefactatur, nisi hepate læso. Declarat hoc hydrops, qui privatio est sanguificationis. At hydrops nunquam accidit, nisi affectum sit Jecur, sic docente *Galeno 5. de loc. aff. c. 7.*

79. Tertiò. Quia sanguis in vena porta & cava contentus colore suo similis est hepatis colori. Rationabile ergò, illum in hepate fuisse generatum.

80. Quartò. Quoniam materia, ex qua sanguis vitalis generatur, jam sanguinis formam habet, ante

quam ad cor perveniat : portio quoque illius tùm per venam portam, quæ cor non attingit, tùm per descendentem truncum venæ cavæ nutritionis gratia ad varias ablegatur partes.

81. Quintò. Quia si cor, non hepar statueretur sanguificationis officina, omnes partes præter cor & pulmones alimento destituerentur, atque ita contabescerent. Consequentia probatur, quia sanguis in dextro cordis sinu genitus, ad venam cavam propter valvulas tres, quæ foris intrò spectant, remeare nequiret. Ergò maneret partim in corde: partim verò per venam arteriosam ad pulmonem deferretur. Itaque tantùm cor & pulmones nutrirentur; reliquæ partes genio suo defraudarentur. Frustrà igitur cor sanguinis officina factum esset.

82. Sextò. Si cor esset sanguinis officina, etiam in piscibus esset dexter illius sinus: quoniam dextri sinus ratione plurimum sanguinem continentis cor officina sanguinis ab *Aristot.* perhibetur. Atqui in piscibus is desideratur, cùm tamen animalia sint sanguinea. Patet ergò, illum sinum non propterea datum esse, ut esset officina sanguinis in universum corpus distribuendi, sed duntaxat ut materiam alimentariam suppeditaret pulmonibus: materiam etiam suggereret sinui sinistro pro vitalis spiritus generatione.

83. Septimò. Si cor non hepar sanguinis esset officina, & sanguis ex alimentis inibi generaretur, ductus necessarii forent, per quos chylus ad cor veheretur. At tales in Anatome nulli apparent. Si dicas ferri chylũ à venis mesaraicis ad hepar: ab hepate ad venam cavam: ab hâc ad cor, duæ dantur instantiæ. 1. Quòd in omnibus hisce viis chylus jam formam sanguinis sit adeptus, antequam

scil.

ſcil. ad cor pervenerit. Erit ergò alia aliqua generationis ſanguinis officina. 2. Quia ſi maximè ad cor ferretur, inibique in ſanguinem mutaretur, egredi tamen non poſſet, uti oſtenſum anteâ. Si verò affirmes, per arterias meſaraicas ad arteriam magnam, ab hâc ad cordis ſinum ſiniſtrum devenire, impoſſibile ſtatuis, quoniam orificio aortæ tres præfixæ ſunt valvulæ, quæ impediunt, quominùs aliquid ab illa ad cor migrare poſſit.

84. Octavô. Quia chylus per venas meſaraicas ad Jecur, non ad cor defertur; Indicium certum, in Jecore illum ſanguinis nanciſci formam debere. Quam ob cauſam etiam omnium primò, quamprimùm in ventriculo & inteſtinis generatus eſt, ad hepar ablegatur: & hepar egreſſus ſanguinis forma eſt ornatus.

85. Nonò. Quoniam Jecur venarum eſt origo. Ubi autem eſt earum origo, ibi & ſanguinis eſt officina: ratio eſt, quia venæ ſunt veluti canales, per quos ſanguis ſua in officina genitus in omne corpus diſtribuitur.

86. Verùm, ut quid hac de controverſia ſentiendum ſit proferamus in apertum, arbitramur, poſſe eam dirimi, ſi diſtinxerimus tùm inter rem & materiam generandam, tùm inter principium generans.

87. Alia enim eſt officina ſanguinis arterioſi, ſeu vitalis & ſpirituoſi: alia venoſi & alimentarii. Prioris ſanguinis officina cor eſt, ex *Ariſtot.* & *omnium Medicorum* ſententia. Poſterioris hepar. Eſt & aliud principium remotum & mediatum: aliud proximum & immediatum. Cor etiam venoſi & alimentarii ſanguinis principium eſt; ſed remotum & mediatum, quatenùs Jecoris calorem conſervat: eique ſpiritus largitur vitales, qui tamen ad omnium partium actiones exercendas ſunt neceſſarii. Hepar autem dicti ſanguinis principium eſt

proxi-

proximum & immediatum : quoniam ſanguis ille in ipſomet Jecore conficitur : à virtute ſcil. illius ſanguifica.

88. *Rationes verò Peripateticorum* anteà allatæ tanti ponderis & momenti non ſunt, ut pro ſolo corde certi aliquid concludere valeant. *Ad primam* itaque reſpondetur: non eſſe neceſſarium, ut ad alicujus humoris productionem cavitas requiratur evidens effatuque digna. Contrarium enim docet generatio ſeminis, quod in fungoſa teſtium ſubſtantia, & lactis, quod in glanduloſis mammarum corporibus procreatur. At partes iſtæ manifeſtis & evidentibus cavitatibus carent. Imò in hepate tot cavitates ſunt, quot venæ & arteriæ.

89. *Ad ſecundam* dicimus, falſum eſſe, quòd cor primum ſit vivens. Etenim, cùm in prima partium delineatione & adumbratione, atteſtante *Hippocr. l. de loc. in hom.* præſens ſit omnium materia, nimirùm ſemen, eadem quoque adſit cauſa efficiens, videlicet facultas plaſtica in ſemine deliteſcens, inſtructa à ſpiritu & calore, idem denique finis & uſus, cùm nullius partis uſus magis neceſſarius ſit, quàm alterius, ſed quælibet ſuo ſe calore foveat, utique nulla prior erit altera, ſed omnes ſimul & ſemel delineantur, delineatæ mox augentur & perficiuntur, priùs tamen illæ, quæ digniores ſunt, & quarum uſus magis eſt neceſſarius, poſterius verò quæ ignobiles exiſtunt.

90. *Ad tertiam* regerimus, autopſiæ repugnare, quòd nullibi ſanguis extra venas naturaliter contineatur, & extravaſatus ab omni labe immunis, præterquam in cordis ventriculis exiſtat. Contrarium namque oſtendunt cerebri quatuor ſinus, quos partim duplicatura, partim quadruplicatura craſſæ meningis conſtituit. Hi enim in-

insignem sanguinis copiam, citra ullam corruptelam & grumefactionem, in se recondunt. At sinus isti venæ non sunt, quoniam neque structuram venarum obtinent, neque à Jecore, quod omnium venarum est origo, oriuntur.

91. *Quarta* & ultima ratio nihil concludit, ut quæ falso niti fundamento videatur. Quamvis enim in quibusdam animi pathematibus vividus corporis color & gratia, faciei inprimis, vanescat, tamen causa tàm subitæ mutationis nequaquam remeationi sanguinis hepatici ad suum principium, nimirum ad jecur, sed revocationi sanguinis arteriosi unà cùm calore spirituque vitali ad cor, tanquam suum fontem & scaturiginem, est adscribenda. Ratio est, quoniam sanguis arteriosus & spiritus vitalis, maximè verò spiritus, sunt corpora tenuia admodum, subtilia, & valdè penetrantia. Quâ de causa, uti propter subtilitatem tenuitatemque substantiæ per arterias è corde promptè admodum in omne corpus diffunduntur, ita quoque per easdem ocyssimè rursus ad cor revocantur.

92. Cum itaque constet, jecur sanguificationis esse instrumentum, quæri posset ulterius, *an vis sanguifica primariò venis, an verò parenchymati hepatis sit accepta ferenda?* Ad hanc quæstionem respondet *Galen. 4. de us. part. cap.* 12. primum sanguificationis organum esse carnem jecoris; Venis autem, quæ ad intestina pertinent, inesse facultatem quandam sanguinis effectricem, qua chylum sanguinis quadam specie adumbrant, priusquam ad hepar perveniat.

93. Prius probat rationibus seqq. 1. In qualibet parte organica, cui actio aliqua commissa est, certa quædam reperitur particula, cui nusquam in corpore alia

ſimilis eſt, eaque propriæ totius inſtrumenti actionis eſt author: reliquæ partes ſunt communes: quæ alibi etiam reperiuntur. Hoc præſuppoſito fundamento, ſic argumentari licet. Hæmatoſeos princeps cauſa, aut ſunt jecoris venæ, aut arteriæ, aut nervi, aut membranæ, aut pori cholidochi, aut parenchyma. Ex tot enim particulis, ut ſupra *theſi* 65. *& ſeqq.* dictum, hepar conſtat. At non ſunt venæ, arteriæ & nervi: quoniam vaſa hæc omnibus partibus ſunt communia. Non membranæ quia hæ à peritonæo oriuntur. Non pori cholidochi, quoniam eandem cum veſicula fellea naturam habent, & bilem, non verò ſanguinem continent: neque ſolùm in hepate ſubſiſtunt, ſed etiam extra hepar. In quibuſdam verò animalibus non eſt omninò veſicula hæc, ſed ſoli pori ab hepate ad tenue inteſtinum feruntur. Atqui primaria actionis cauſa tribuenda eſt ejuſmodi cõſtituenti particulæ, cui nulla alia ſit ſimilis, quæ alibi non reperiatur, & quæ ſit pars ipſius organi. Relinquitur ergò primum hæmatoſeos organum eſſe parenchyma hepatis.

94. *Deinde* Natura parenchymatis hepatici ſimilis eſt admodùm ſanguini. Si enim mente concipiatur, tenuiores ſanguinis partes à calore eſſe exhauſtas, & reliquum ſanguinem factum eſſe craſſiorem & ſicciorem, nihil ſanè hunc aliud ferè eſſe deprehendetur, quàm carnem hepatis.

95. *Tertiò.* Quælibet pars hunc ſcopum & finem ſibi habet propoſitum, ut aſſumptum ſibi aſſimilet alimentum. Jam ſi tibi imagineris, attractum chylum à carne hepatis alterari, & paulatim transmutari in illius naturam: tamen craſsiſſimus ſimul & maximè rubicundus neceſſariò erit, antequam illi perfectè ſit aſſimilatus. Nulla enim res contrarias, vel omninò multùm

diffe-

differentes qualitates recipere poteſt, niſi per media prius iter fecerit. Quare, ſi hoc agit caro hepatis, ut ſibi ipſi alimentum aſſimilet: hoc autem repentè ac ſimùl fieri non liceat: medium utriuſque erit ſanguis, tantùm à carne hepatis diſtans, quantùm à chylo. Hinc *Fernel. 6. Phyſiol. cap.* 3. inquit, diu multumque attractus chylus in hepate moratur: tùm propter anguſtiam & exilitatem venarum: tùm propter retentricem virtutem hepatis. Caro ergò hepatis ſenſim conatur illum ſibi aſſimilare. Quare imprimit illi ſuam velut imaginem, cum vis ejus facilimè tenuiſſimas minutiſſimarum venularum tunicas permeare poſſit. Et quemadmodum vis animalis cerebro, non nervis: vis ſphygmica cordis parenchymati, non arteriis: vis lactifica glandulis mammarum, non vaſis: vis ſeminifica teſtibus non vaſis: vis chylifica ſubſtantiæ propriæ ventriculi, non illius vaſis tribuitur, ita vis ſanguifica ſubſtantiæ jecoris, non venis tribuenda.

96. Atque hæc eſt *Galeni* de primo αἱματώσεως organo ſententia. *Argenterius* idem ſuadet, ſed venis omnem vim ſanguificandi adimit. Rationibus pro ſtabiliendo ſuo dogmate utitur ſeqq.

97. *Primò.* Omne alimentum refert ideam, naturam & temperiem partis, à qua manat, quod chyli, ſeminis, & lactis exemplo confirmari poteſt. Coctio enim nihil eſt aliud, quàm imperfecta quædam & inchoata aſſimilatio, ſeu gradus quidam & aditus ad aſſimilationem. At ſanguinis & venarum diſſimilis eſt forma, diverſus color, nec eadem temperies. Venæ ſiquidem exangues ſunt, frigidæ & albæ, ſanguis calidus & ruber. Ergò non habent vim concoquendi & alterandi ſanguinem.

98. *Deinde* hoc idem exemplo puris, & hypostaseos, quæ in urina cernitur, probatur. Illud enim, quia à solidis partibus, id est, spermaticis efficitur, album est: hęc, quia venarum est excrementum, itidem albicat. Ergò sanguis quoque albicare deberet, si à venis generaretur.

99. *Tertiò.* Quia si vis αἱματοποιητικὴ inesset venis, etiam illa arteriis concedenda foret. At arteriæ continendo & distribuendo tantùm sanguini spirituoso, non excoquendo dicatæ sunt. Ergò venæ soli ἀναδόσει distributioni: non ἀλλοιώσει, alterationi inserviunt.

100. *Argenterio* contrarii sunt *Vesalius*, *Ioubertus*, *Schegkius*: qui tradunt, αἱμάτωσιν omnem solis venis, nequaquam parenchymati adscribendam esse. Hujus autem triplicem duntaxat usum agnoscunt, nimirum ut vasis affundatur ne cohæreant: ut vasa pulvinaris instar fulciat: & ut calore suo venarum αἱμάτωσιν promoveat. Venas autem non ὑποδοχὰς tantùm, sed etiam ἀλλοιωτικὰς esse: non tantùm ἀναδόσει, sed etiam αἱματώσει inservire.

101. Nituntur authoritate *Galeni*, qui 1. *de natur. fac.* ait, cnm chylus in sanguinem vertitur, motum esse duplicem: passivum quidem chyli: activum verò venæ. 1. *de usu part.* inquit, venas factas esse gratiâ generandi sanguinis. 4. *de usu part.* & 5. *de tuenda sanitate* scribit, vim coquendi in venis esse.

102. *Rationes sunt seqq.* 1. Quia venæ parenchymate sunt priores, nec ab ipso dependent. Separari enim tutò maceratione, vel elixatione possunt. Venis ergò potius, quæ sanguinem continent, priusquam parenchyma conformetur, αἱμάτωσις tribuenda.

103. *Deinde.* Quia *Galen.* 12. *meth. med.* solidis & sperma-

ſpermaticis partibus vim efficiendi adſcribit præcipuam. At tales ſunt venæ Jecoris. Ergò venæ potius ſanguificabunt.

104. *Tertiò.* Quia parenchyma hepatis ex ſanguine, tanquam ex materia ſua propria, generatur. Non ergò hujus erit efficiens.

105. *Quartò.* Quia αἱμάτωσις eſt alteratio quædam naturalis, cum ſit concoctio. Erit ergò ἔμφυτος, inſita & naturalis, vel venis, vel hepati. Si venis, habemus quod volumus. Si hepati, neutiquam tribuetur venis: quoniam non amplius ἔμφυτος, ſed ἐπίῤῥυτος erit, influens, ratione ſcil. venarum: aut partim ἔμφυτος, partim ἐπίῤῥυτος; quod eſt abſurdum.

106. *Quintò.* Quia *Galen.* 4. *de uſu part. cap.* 12. dicit, ſanguificam virtutem primariò deberi parenchymati jecoris: ſecundariò venis. At hoc eſt impoſſibile. Eſt enim proprietas quædam illius partis, cui inſidet. Si ergò uni eſt propria, alteri cõmunicari nequit: quoniam propria ſunt incommunicabilia. Sunt παθὴ καὶ καθ' αὐτὸ συμβεβηκότα, quæ inſeparabilia ſunt, ab iis ſubſtantiis, quibus inhærent.

107. *Sextò.* Quia venis ſ. n. affectis, bonus generatur ſanguis: p. n. a. diſpoſitis, vitioſus. Ergò venæ ſunt principia ſanguificationis.

108. *Septimò.* Quia *Galen.* crudorum humorum concoctionem in morbis venis adſcribit, quòd ſint στερεὰ καὶ σπερματικὰ μόρια. *l.* 2. *comm.* 46. *in* 1. *Epid.* & alibi aſſeverat, hydropas non eſſe incurabiles uſque dum venæ facultatem ſuam à natura inſitam non amiſerint. Si ergò venæ crudos ſuccos coquunt: quidni etiam chylum in ſanguinem convertent? ſi curabilis eſt hy-

drops, venis ſuam adhuc facultatem habentibus, indicium erit certum, eas ſanguificare.

109. *Octavò.* Quia venæ fovent, conſervant, & diſtribuunt ſanguinem. Extra venas enim ſanguis effuſus, aut corrumpitur & putreſcit, atque ita phlegmonas excitat: aut in grumos vertitur. Argumentum non leve, illius generationem non in hepate, ſed in venis fieri: quemadmodum inibi etiam conſervatur: & liquidus etiam animali extincto manet.

110. *Nonò.* Quia ſi caro jecoris primariò ſanguificaret: ſanguinem ἀμέσως contineret: quoniam inter agens & patiens nullum datur medium. At hunc ἀμέσως non continet; ſed venis incluſum. Imò ſi ἀμέσως illum contineret, ſalva illius ſubſtantia diu manere non poſſet: quia, uti modô dictum, corrumperetur ſanguis, putreſceret, & ſi copioſius influeret, inflammationem excitaret.

111. *Decimò.* Si arteriæ chylum quoque exugunt, eumque in ſanguinem convertunt, idem etiam præſtare poterunt venæ. At prius eſt verùm. Ergò & poſterius. Arteriæ verò non oriuntur à jecore. Ergò falſum, quod parenchyma jecoris ſit ὄργανον πρῶτον αἱματώσεως. Neque chylum illum ad corde ferunt: tùm quia per arteriam magnam propter tres valvulas nihil ingredi poteſt: tùm quia *Galenus* ipſe hanc ſanguificandi virtutem cordi denegat.

112. *Vndecimò.* Quia ſi venæ nullam habent facultatem αἱματοποιητικὴν, tùm chylus in venis meſaraicis hærebit ſine permutatione in ſanguinem. Nulla ergò in venis illis vis erit ἀλλοιωτικὴ: ſed tantùm erunt tubi & canales, per quos chylus ad hepar deducetur: quod tamen *Galeno* eſt contrarium, qui ſolidis & ſpermaticis parti-

partibus facultatem ineſſe dicit, ut contentos in ſe humores alterent, & in aliam ſpeciem mutent.

113. Sed ut ex tot diſſentientium Authorum opinionibus nos tandem extricemus, media incedimus via, utrique parti vim ſanguificandi adſcribentes; Jecori quidem πρῶτως & principaliter: Venis autem δευτέρως & ſecundariò, nec non niſi per ἐπιῤῥοὴν, irradiationem quandam & influxum; id quod præter rationes pro jecore à *Galeno* ſupra *theſ.* 93. & *ſeqq.* allatas, modus quoque ſanguificationis confirmat. Quamprimum enim tenuior chyli portio à vaſis per meſenterium diſſeminatis exugitur, illicò in iis quadantenus jecori præparatur, atque ad venæ portæ truncum & radices per hepatis ſubſtantiam multiplici ſobole diſperſis transportatur.

114. *Neque* nos movent adverſariorum rationes, ſiquidem ita comparatæ ſunt, ut accuratiùs ſi examinentur, facilè ſolvantur.

115. *Ad primam* autem reſpondetur, falſum eſſe, quòd venæ parenchymate ſint priores. Oſtenſum quippe ſuprà *theſ.* 89. in prima delineatione & adumbratione partium, nullam alia priorem exiſtere, ſed omnes ſimul & ſemel generari. Et ſi vel maximè venæ parenchymate priores eſſent, nunquid propterea ſanguificationis dicenda forent inſtrumenta? Minimè gentium! Eſt enim ſanguificatio publica, communis & officialis actio. At talis in fœtu non celebratur: cujus rei certiſſimum argumentum ſuppeditant ventriculus, hepar, cor, pulmones & thorax, quæ partes omnes fœtu adhuc in clauſtro materno deliteſcente quaſi feriantur, nec eas exercent functiones, quas obeunt, cum is jam eſt in lucem editus. Quare ſi nulla in fœtu à nulla parte publica

blica & communis editur actio, neque venæ in jecore fœtus ſanguificabunt, ſed deferent tantùm, diſtribuentque maternum ſanguinem tùm pro nutritione, tùm pro augmentatione illius.

116. *Ad ſecundam* Reſp. negando conſequentiam. Non ſequitur, venæ partes ſunt ſolidæ. Ergò vim ſtatim ſanguificandi habent: quoniam non una eſt partium facultas: ſed plures. Habent ergò vim ſuam attractricem, retentricem, expultricem, & aſſimilatricem. Negatur etiam, parenchyma planè eſſe ſanguineum, nec quicquam in ſe continere materiæ ſpermaticæ. Ut enim aliæ partes duplex habent principium, ſpermaticum, & ſanguineum, tametſi in aliis hoc, in aliis illud præpolleat: ita parenchyma quoque hepatis ſuam habet ſubſtantiam ſanguineam: ſuam etiam ſpermaticam.

117. *Ad tertiam* itidem negatur conſequentia. Non enim ſequitur, jecoris caro ex ſanguine conſtat, Ergò non poteſt eſſe cauſa efficiens ſanguinis. Imò quia ſanguineum eſt, etiam ſibi humorem maximè ſimilem producit. Partes ſpermaticæ ex ſpermate conſtant, & ſperma tamen generant: Et ſi abſurdum non eſt, dicere, venas & arterias partim ex ſpermate, partim ex ſanguine conſtare: & nihilominus tamen tùm ſperma, tùm ſanguinem generare, habereque in ſe, uti quidam volunt, δύναμιν αἱματοποιητικὴν: cur abſurdum eſſet, ſi diceretur, parenchyma jecoris ex ſanguine productum eſſe, & nihilominus tamen generare ſanguinem poſſe.

118. *Ad quartam.* Etiamſi cum *Galeno* aſſeratur, αἱμάτωσιν primariò & per ſe fieri à parenchymate jecoris: ſecundariò à venis, non tamen ſequitur, δύναμιν hanc partim inſitam eſſe, partim influentem. Eſt inſita perpe-

perpetuò, quia naturalis, & quidem insita parenchymati. Verùm quia venæ à Jecore oriuntur tenuissimasque tunicas habent, ideò illam facultatem sanguificam habent à Jecoris carne communicatam. Ferrum candens lucet & urit, non quòd vis ignis influat in ferrum, sed quòd illi communicetur. Ferrum magnete illitum aliud attrahit ferrum, non quòd virtutem habeat influentem, sed qualitatem tantùm à magnete sibi communicatam, non propriam.

119. *Ad quintum* dicitur, limitanda esse duo hæc axiomata logica: propria non communicari: propria non egredi sua subjecta: sed esse inseparabilia. Propria sunt incommunicabilia, ea scil. ratione, ut alterius rei propria non fiant. Potest tamen esse vera & realis communicatio, licet non fiant propria. Quod manifestum est. 1. in Anima, quæ verè communicatur corpori, quod virtute & proprietate Animæ vivit, licet vivere non fiat proprium corporis. 2. in igne: qui verè ac realiter ferro communicatur, cujus virtute & proprietate ferrum lucet & urit: licet lucere & urere nunquam fiant propria ferri. Eadem ratione venæ dicuntur habere virtutem sanguificandi sibi à parenchymate jecoris communicatam; sanguificare tamen hepatis proprium manet, etsi subjecto alii communicetur. Quemadmodum attrahere ferrum proprietas manet magnetis: etsi ferro communicetur: & attrahere humorem serosum proprietas manet Renum, etsi vasis emulgentibus communicetur: & attrahere humorem biliosum manet proprietas vesiculæ fellis, licet poris cholidochis communicetur, & attrahere materiam seminis manet proprietas testium, etsi communicetur vasis spermaticis appellatis.

120. Deinde, quod dicitur, propria non egredi ſubjecta ſua, ſed inſeparabilia eſſe, verum eſt; ſed inde non infertur, communicari non poſſe. Nam licet proprietas hæc, vis ſcil. ſanguificandi à jecoris parenchymate venis communicetur: illa tamen ſubſtantiam ſuam non egreditur, nec ab eo ſeparatur. Non enim fit proprietas hepatis in venas talis effuſio, aut transfuſio, qua aliquid hepati decedat, aut de ſuo aliquid venis ſic largiatur, ut non in ſe retineat: ſed eſt duntaxat ejuſdem virtutis communicatio, ſeu participatio, principaliter hærens in jecore: & ab eodem venis communicanda.

121. *Ad ſextum.* Diſtinguendum eſt inter cauſas principales, & cauſas ſine quibus non. Etſi enim venis p. n. diſpoſitis, ſanguis producatur vitioſus: non tamen ſequitur venas eſſe cauſas ſanguificationis principales, ſed tantùm cauſas ſine quibus ſanguis in ſua bonitate generari & conſervari non poteſt

122. *Ad ſeptimum* reſpondetur dupliciter 1. Venis non derogari elaborandi & alterandi virtutem, ſed illam iis aſſignari: at δευτέρως ſaltem beneficio Jecoris, non autem πρώτως. 2. Aliam eſſe rationem conctoctionis crudorum humorum in morbis: aliam generationis humoris ſanguinei. Illam non tantùm venæ, verùm etiam aliæ partes efficiunt. Quælibet enim pars crudos noxioſque humores ad naturæ ſtatum convenientiorem reducere ſatagit calore ſuo: ſed non omnis ſanguificat. αἱματωσις enim actio eſt à propria & peculiari facultate certæ alicujus partis, nempè parenchymate hepatis, manans.

123. *Ad octavum.* Aliud eſt fovere & ſanguinem incorruptum conſervare: aliud ſanguinem de novo genera-

nerare. Nec ſequitur, hæc pars conſervat rem generatam. Ergò neceſſariò etiam ipſam generat. Uterus enim verbi gratia fovet & conſervat ſemen: idque exuſcitat, & in actum deducit, non tamen ſemen generat. Diſtinguendum ergò inter locum, qui locati eſt conſervativus: & inter cauſam efficientem illius, quod à loco conſervatur.

124. *Ad Nonum.* Negatur conſequentia. Jecur ἀμέσως ſanguinem non debuit continere: quia nullam habere debuit cavitatem conſpicuam, ut cor; ſed duntaxat plexus venarum. Cauſam adfert *Galen.* 4. *de uſ. part. cap.* 13. At dicunt, inter agens & patiens nihil eſſe medium: ſed duo hæc neceſſariò ſe tangere. Sed Reſp. contactum alium mediatum eſſe: alium immediatum. Licet ergò parenchyma jecoris chylum in ſanguinem convertendum immediatè non contingat, contingit illum tamen mediantibus ſuis venis: quæ facultatem αἱματοποιητικὴν à jecore acceperunt. Contactus enim eſt duplex: alius phyſicus & corporalis, qui etiam verus & proprius dicitur, quando ſcilicet duorum corporum ſuperficies ſimul ſunt: ut mutuò ſe movere, & à ſe moveri poſſint: alius improprius, virtutis ſcil. & operationis, cum non ſuperficies, ſed virtus unius corporis ad ſuperficiem alterius pervenit. Prior contactus eſt inter illa corpora, quæ ὁμοειδὴ καὶ ὁμογενῆ, ejuſdem ſunt ſpeciei & generis, aliàs univoca appellata. Poſterior inter illa, quæ æquivoca ſunt, h. e. generis diverſi, quorum nimirum alterum tangit, ſed non tangitur: movet, ſed non movetur. Qua ratione animus dicitur corpus tangere, à quo tamen non viciſſim tangitur. Hoc autem in loco contactus virtutis & operationis ſpectatur: unde neceſſe non eſt, ut parenchyma immediatè

tangat chylum, & ab hoc iterum tangatur. Sunt quidem duo hæc corpora, parenchyma ſcilicet & chylus, à ſe invicem ſeparata: ſed vis tamen jecoris ſanguifica in chylum agit: huncque tangit.

125. *Ad decimum.* Negatur arterias ſanguificare, & chylum exugere. Oriuntur enim à corde: & quod in corde generatum eſt, tanquam canales in omnem corporis partem effundunt, ut earum miniſterio cor in omnibus corporis particulis eſſe poſſit, non quidem materialiter, ſed virtualiter. Deinde ſi ſanguificatio ex chylo fieret in arteriis, quomodo fieret ſequeſtratio heterogeneorum? qua ratione ſecerneretur excrementum bilioſum, cum minutiſſimæ & pauciſſimæ arteriolæ ad veſiculam felleam pertingant? quo pacto purus, clarus, tenuis & ſpirituoſus arteriarum ſanguis manebit, ſi materiæ chyloſæ, impuræ adhuc & nondum ab excrementis requrgatæ, ſit permixtus? quomodo inde cor nutrietur, cum in ſiniſtrum illius ſinum per ramos arteriæ magnæ, quæ inde oritur, nihil ingredi poſſit? Nam ſi arteriæ ſanguificant, ſanguificabunt ſanè etiam pro nutritione cordis, à quo citra controverſiam originem trahunt.

126. *Ad undecimum.* Negatur conſequentia. Non ſequitur, venæ non ſunt πρῶτα ὄργανα αἱματοποιητικά. Ergò venæ planè ſunt otioſæ. Ergò nullam habent alterandi virtutem. Dicimus enim; illas ſanguificare, ſed δευτέρως, ratione virtutis à jecore communicatæ. Unde rudimentum quoddam ſanguinis chylo confe-
runt, quem perfecta illius forma tandem jecur adornat. Habent præterea ſuas peculiares virtutes, qua conveniens ſibi alimentum alliciunt, retinent, aſſimilant, inutiliaque expellunt.

127. Cæterùm hîc circa venas jecoris, quas δευτέρως & irradiativè tantùm ad αἱμάτωσιν perficiendam concurrere cum *Galeno* affirmavimus, nova quædam exurgit dubitandi occasio, & *an ex hepate suam illæ originem principiumque sortiantur*, controvertitur? *Peripatetici* secuti ducem suum *Aristotelem* rursus id negant, persuasum habentes, cor, non verò jecur illum esse fontem, è quo venæ in omne corpus dimanent.

128. Rationibus pro confirmatione suæ opinionis nituntur benè multis, quarum tamen præcipuæ sunt. 1. quia vena cava ita firmiter cordi adhæret, ut nulla arte citra cordis distractionem divelli possit. Ab hepate autem radices illæ illaceræ & à cæteris partibus rami omnes separari possunt.

129. *Deinde*, quoniam majora minorum sunt principia. At vena cava multò amplior apparet in corde quàm in hepate. Ergò ibi, non hic illius origo.

130. *Tertiò*, quia non omnes venæ hepar attingunt. Vena enim arteriosa & arteria venosa nihil quicquam commercii cum hepate habent.

131. *Quartò*, quia cor medium & principalem situm in corpore habet. Ergò inde quoque oriri debuerunt venæ.

132. *Quintò*, quoniam melius est, unum esse principium omnium vasorum, si id commodè fieri possit. Ergò uti cor principium est arteriarum: ita & venarum. Medium enim locum obtinet: atque ita commodissimè omnibus partibus sanguinem vitalem & alimentarium suppeditabit.

133. Aliter verò *Hippocr. & Platon.* sentiunt, utpote qui hepar tantùm venarum esse principium contendunt.

134. *Nos*, neque *Aristotelis* sententiam planè rejiciendam, neque *Hippocr. & Galeni* repudiandum dogma, sed utrorumque opinionem amplectendam esse existimamus, adhibitâ tamen illa distinctione, quam de principii vocabulo artis nostræ proceres tradiderunt.

135. Constat enim ex eorum monumentis, principium aliud esse γενέσεως, sive generationis, è quo omnes corporis partes primam in utero sortiuntur delineationem & conformationem. Aliud ῥιζώσεως, radicationis vocari, à quo tubuli quidam atque canales oriuntur, per omne corpus dispersi. Esse etiam quoddam διοικήσεως, officii & dispensationis nomine insignitum, à quo communis quædam materia, sive humida illa sit, sive spirituosa, quoquoversum diffunditur. Denique aliquod σωτηρίας, seu conservationis principium existere, omnes corpis partes ab interitu, (quantum possibile) vindicans.

136. Præmissa hac distinctione, liquet, utrumque, cor nimirum & hepar, venarum posse dici principium. Illud quidem non γενέσεως earum, neque etiam ῥιζώσεως, sed duntaxat σωτηρίας, sive conservationis. Efficit enim vitali suo spiritu vivificoque calore, ut insitus venarum tùm calor, tùm spiritus foveatur, sustentetur, adeóque ipsarum quasi vita conservetur. Hoc verò venarum principium partim ῥιζώσεως, seu radicationis, quoniam venæ cavæ & portæ radices in solo hepate apparent: & in hepate tantùm, tanquam in matrice propria communionem habent: partim etiam διοικήσεως; eò quòd ab hepate communis materia, sanguis scil. alimentarius per venas tùm descendentes, tùm ascendentes in universum corpus diffundatur.

137. Quòd verò hepar, non cor, sit principium radica-

dicationis venarum, probari potest. 1. Ex fœtuum dissectione, quæ satis indicat, sanguinem ex hepate mitti ad cor. Umbilicalis enim vena sanguinem in hepar refundit. Sanguis ille ibi magis elaboratur: tandemque per venam portæ & cavam in omne embryonis corpusculum distribuitur. Ubi igitur actio perficitur, ibi sunt & organa. Sed in hepate actio perficitur, nimirum sanguificatio. Ergò & ab eodem oriuntur organa, quibus opus productum communicatur universo corpori. Talia autem organa venæ sunt. Ergò venæ originem à jecore trahunt.

138. *Deinde*, quia si vena portæ ab hepate citra controversiam oritur, orietur inde etiam cava, utpote quæ venæ portæ ratione structuræ est persimilis, & sanguinem continet ejusdem coloris, substantiæ & temperamenti, habetque radices variis capillamentis eodem modo infixas. Nulla igitur ratio diversitatis esset, cur porta ab hepate, cava à corde oriri debret.

138. *Tertiò*. Quoniam vena cava in piscibus oritur à jecore, non à corde. Dicunt enim *Peripatecici* à dextro cordis sinu venam hanc prodire. At illo carent pisces: quia carent pulmonibus: quorum gratiâ dexter ille sinus potissimùm est fabrefactus.

140. *Rationes verò Peripateticorum* infirmiores videntur, quàm ut pro solo corde militare valeant. Itaque ad primam Resp. Tametsi vena cava arctissimo nexu cordi jungatur, exinde tamen evinci non posse, quòd cor sit principium radicationis venarum. Decuit arctissimam illam esse connexionem, non ut è corde oriretur, sed ad robur & constantiam, ne ob perennes cordis motus, vena cava, quæ tenuis & simplici donata est tunica, disrumperetur. Quocirca inexplicabilis potius venæ cavæ in

wæ in cor inſertio, quam illius à corde ortus & emanatio ſtatuenda.

141. *Ad ſecundam* dicimus falſum eſſe; quòd vena cava amplior ſit circa cor. Inſignior equidem apparet ibidem quàm ſit, tùm propter auriculam dextram, tùm propter jugem perrennemque cordis diaſtolen omnia dilatantem, ſed tamen gracilior eſt, quàm in gibba hepatis parte.

142. *Tertia* nullius eſt hili. Nam vena, quàm arterioſam vocant, vena propriè dicta non eſt, cum non habeat eandem cum reliquis venis ſtructuram, ſed tunicam denſam, & ſextuplò venâ craſſiorem: ſitque in prima formatione per canalem ſatis conſpicuum arteriæ magnæ adeò conjuncta, ut illius propago quædam videatur. Quare, ſi ad ſtructuram arteriæ magis accedit, venæ nomine non erit inſignienda, & per conſequens cor, non hepar illius principium ſtatuendum, idque hanc etiam ob rationem, quia vena arterioſa pulſat, venæ nequaquam.

143. *Ad quartam Reſp.* conſequentiam eſſe nullam. Nam hepar non longè à corde abeſt. Ab illo ergò ſi dicantur venæ oriri, ſanguis æquè partibus communicari poteſt, atque à corde.

144. *Quintæ* ſolutio eſt in objectione. Melius ſcil. eſſe unum principum, quàm plura, ſi id commodè fieri poſſit. At iſtud hîc commodè fieri non poteſt: quoniam aliud temperamentum habere debuit ſanguis alimentalis: aliud arterioſus ſeu vitalis. Is debuit eſſe craſſior, hic tenuior & ſpirituoſior. Quare utriuſque diverſa eſſe debuerunt principia. Si principia debuerunt eſſe diverſa: etiam diverſum exortum habere debuerunt vaſa: quoniam canales ſunt, per quos ſanguis con-

fectus in corpus diſtribuitur. Ut ergò ſanguis vitalis generatur in corde: alimentarius in hepate, ita arteriæ quoque emanant ex corde: venæ autem ab hepate prodeunt.

141. Cum itaque perſpicuum ſit, jecur eſſe venarum, originem, quæſtio rurſus alia moveri poſſet, nimirum, *an omnes venæ immediatè ex ſubſtantia hepatis emergant, an verò vena portæ tantùm ſoboles ſit venæ cavæ, quemadmodum Ariſtotel. l. 3. de part. anim. cap. 5. & l. 3. de hiſtor. animal. cap. 3. docuit?*

146. Ad hanc quæſtionem, relictis nunc in medio rationibus *Ariſtot.* reſpondemus, duas haſce venas immediatè ex hepate ſuam ducere originem, neque unam alterius eſſe principium. Fundamenta aſſertionis ſunt duo. 1. quoniam vena portæ habet diverſum truncum: diverſas radices: alias quoque atque alias inſertiones. Ergò etiam diverſa eſt à vena cava. 2. quia *Ariſtot. 3. de partib. anim. cap. 5.* dicit, venas majores ſubinde fieri minores, donec tandem fiant arctiſſimæ. Si ergò vena portæ ſoboles eſſet venæ cavæ, non ita inſignis eſſet: neque longè amplior tenuiſſimis venæ cavæ ramulis per jecur diſpergeretur.

147. *Objicies*; Majora minorum eſſe principia. Venam cavam majorem eſſe vena portæ. Ergò hujus eſſe principium. Reſp. ad majorem, illam veram eſſe de una eademque vena, non de diverſis. Pars major unius venæ, verbi gratia, truncus, principium eſt partis minoris ejuſdem venæ. At non ſimpliciter major vena minoris eſt principium. Aliâs enim vena cava non tantùm venæ portæ, verùm etiam venæ arterioſæ, arteriæ venoſæ, & arteriæ magnæ, foret origo, cum hiſce vaſis ſit major.

148. *Regeres.* Eandem utriusque venæ esse structuram, idem contentum, eundemque usum. Ergò cavam principium esse portæ. *Resp.* negando consequentiam. Aliâs enim vena cava etiam principium esset arteriæ venosæ, quoniam eadem utriusque structura: & omnes nervi ab una eademque nervorum conjugatione prodirent: quia omnium eadem structura & usus. *Deinde* negatur eundem usum esse in specie; licet idem sit in genere utriusque venæ. Vena enim portæ nutrimentum confert partibus plerisque in abdomine tantùm contentis. Vena autem cava reliquis omnibus, pulmone excepto, alimentum adfert. Diversitas igitur est penes diversitatem partium edendarum.

149. *Vrgebis*, Venam portæ continuari cum vena cava. Ergò hanc tanquam majorem illius esse principium. *Resp.* 1. Radices harum venarum tantùm in hepate continuari quò ex una in aliam possit fieri transitus: reliquas partes à se planè esse disjunctas. Ramum enim venæ portæ splenicum, utrumq; mensentericum, omentalem, & illos omnes, qui ad ventriculum & pancreas abeunt, nihil quicquam commercii cum vena cava habere. 2. negatur consequentia. Non sequitur, vasa hæc conjunguntur per ἀναστόμωσιν. Ergò alterum alterius est principium. Sunt namque venarum & arteriarum ἀναστομώσεις plurimæ: neque tamen venæ ab arteriis: aut hæ ab illis oriuntur.

PARERGA.

1. *Num minori cum noxa & dispendio corporis nostri diutius tolerari possit fames: an sitis? Posterius placet.*
2. *Debeatne cœna largior esse prandio? Distingu.*
3. *Rectene* attestante Celso l. 2. cap. 18. *plus alimenti sit in carne, quàm in ullo alio cibo? Aff.*
4. *An lactuca lactis generet copiam? Neg.*
5. *Num dentium dolor rheumaticus species sit arthritidis? Neg.*
6. *Utrum morbi totius substantiæ concedendi? Aff.*
7. *An illi articulorum cruciatus nomine arthritidis comprehendantur, qui fiunt vel per* μετάστασιν *humorum in crisi: vel per* παλινδρομὴν, *suppressis mensibus & hæmorrhoidibus, intempestivè cohibita dysenteria, diarrhoea, &c. vel per* ἀθροισμὸν, *sensim factam humorum congestionem in articulis? Aff.*
8. *Utra vacuatio in gravidis periculosior:*

missione sanguinis? an fortis purgatio? Posterius affirmatur.

9. *Nunquid clysmata nutrire valeant? Aff.*

10. *Sitne puris generatio putrefactio? an verò concoctionis species, quæ maturatio dicitur? Posterius placet.*

11. *An extremis morbis extrema conveniant remedia? Aff.*

12. *An contrariorum contraria sint remedia? Sic credimus.*

13. *Num mors quædam rectè dicatur naturalis? Omninò.*

Nobilissimo & Eximio Dn. Respondenti, Amico honorando ac dilecto.

Sit culina tibi RAYGERE, secunda secunda,
Quam parat, è chylo sanguine dives hepar.
Tertia cor vegetet: sit spiritus acer, ad alta
Ducat, post terræ culmina, tecta poli.

F.

Joh. Conrad Dannhavver, D.

Ad Nobilissimum Dominum Respond.

REmigio alarum præ nobilis *Ardea* cœlum
Navigat, & nubem despicit ante pedes.
Quæ decet hanc escam dederis: non ipse Tonantis
Altior Ales ei certet inire polos.

Te-

Te, RAYGERE, alæ, merito ſe digna petentis,
Ingenii, vulgus jam ſuperare jubent.
J, ſupra, pennisque celer præcelſa ſubire
Aſtra para, nomen, *Ardea*, prode tuum.
Quam rectè ingenio nunc offers hepate veſci:
Altivolæ gaudent hepate ſemper aves.

ſcripſ. gratulab.

Joh: Rebhan. D. Pand.
Prof. P.

Nobiliſſimo præſtantiſſimoque Juveni,
Dom. FERDINANDO RAYGER, de Jecore ſolenniter diſputanti ſalut.

SVnt hodiè multi, viliſſima munera ſervi
Qui tribuunt Iecori: & dicunt, tantùm eſſe miniſtrum
Cordis, qui ſordes atque excrementa repurget,
Nempè ſerum bilemque ſimul, quæ flava & amara
Dicitur à Medicæ paſſim Doctoribus artis.
Propterea ex albo magno conamine eorum
Membrorum excludunt Hepar, quæ cætera membra
Nobilitate ſua ſuperant, dextréque gubernant.
Hepar enim dicunt, quòd non ſit ſanguinis author,
Nec ſit venarum radix, neque pneumata gignat,
Vt cor, & ut cerebrum, quæ ſanguine, quæque calore,
Spiritibusque regunt compagem corporis omnem.
At tu, mi RAYGERE, aliter ſentire videris.
Namq; ſenem Hippocratem, doctum ſimul atq; Galenum
Defendis, ſolidisque probas rationibus, Hepar
Eſſe unum ex membris, quæ viſcera cuncta gubernant.

Sanguinis authorem demonstras esse, simulque
Spirituum fontem, quos inclytus ordo medentum
Appellat physicos: quin insuper addis, ab ipso
Corporis humani venas emergere cunctas.
Egregium sanè factum, quod laude perenni
Dignum: quod poterit te commendare peritis
Artis Pæoniæ Doctoribus atque Magistris!
Perge libros veterum, quos tot jam secula mundi
Hujus *Sunt mirata, manu versare diurna*
Nocturnaq; simul, non curans somnia eorum,
Qui quæ finxerunt audent in luminis auras
Edere, cum magno risu persæpè medendi
Artificum, quorum dudùm mirabilis ille
Ex meliore luto finxit præcordia Titan.
Sic etenim praxin Medicæ feliciter artis
Tractabis: tibi sic ægroti digna labore
Dona dabunt: tibi sic nascetur gloria magna
Nominis: & tibi posteritas præconia laudum
Cantabit, placida fueris cùm morte peremptus.

Melchior Sebizius, Med. Doct. & Prof.
Com. Pal. Cæs. & Reip. Argentorat.
Archiater.

UT quandoque suo motu se tollit in altum
ARDEA, quò à nobis cerni vix possit acutè:
Sic, RAYGERE, meos qui primus es inter amicos,
Et cognomen avis, cujus jam mentio facta,
Usurpas, olim, mihi crede, veheris in altum:
Non equidem ut volucris, quæ dicitur ARDEA, verùm
Ceu vir præclarè versatus in arte medendi.
Nec sanè falsum vatem me credo futurum,
Cùm norim magno studio multoque labore,
Et pleno cursu Te ad culmen scandere honoris.

Sup-

Supplicibus votis divinum numen adoro,
Hanc Tibi conservet mentem: Tibi tempora vitæ
Det diuturna: Tuisque laboribus annuat: ut Tu
Illorum possis lætos acquirere fructus.

scrib. amicitiæ testandæ gratiâ

Præses.

SAcrificare suæ doctus RAYGERUS Hygiæ
Dum tentat, calidum præparat ipse Jecur,
Offerat ut sectum, Si nos non fallit Haruspex
Hostia cui talis conspicienda datur,
Vitales fibræ portendunt tempora, summum
Sacrificatori progenitura decus.

M. Ioh. Matthias Schneuber, P. L.
Gymnasiarcha Arg.

FAhr immer fort Bruder in solcher betrachtung/
Betrachte die kleine Welt fleissig vnd wohl/
Sonst hastu der großen Welt lohn/ die verachtung/
Vnd meidet dich/ was dich doch suchen sonst soll;
Drum lerne nur zeitlich das Leben zugeben/
So wird dich diß geben für alle erheben.
Was lieblich/ was löblich das liebt man noch heute/
Das liebliche Leben schaut jederman an/
Was gräßlich/ was schröcklich erschröcket die Leute/
Vnd förchten so alle den beinernen Mann.
Drumb übe was lieblich / daß Leben erhalten/
Vnd schewe was schröcklich / die Menschen erkalten.
Dieweil dann das Blute dem menschlichen Leben/
Eröffnet zum Leben vnd Todte die Thür/
Nun aber die Leber das Blute soll geben/
So nimbstu ja weißlich jetzt dieses Stuck für/
Durch deßen erhaltung die Menschen bestehen/
Durch welcher bestehen/ dein Lob dir versehen.

Wilhelm Rayger.

Non

NOn ita pridem animæ mysteria clausa retexit
RAYGERUS: Corpus mox superesse videt.
Hoc quoque dum lustrat, sibi ne documenta deessent,
Expensum in lucem curat abire Jecur.
Quid superest? nisi, si tam partem doctus utramque est,
Ut mox totum hominem subjiciamus ei.

Nicolaus Iunta.

QVam multum Aoniis noctesque diesque Camœnis
Invigiles, solers discasque Machaonis Artem,
Nunc RAYGERE *probas,* Jecoris *dum disseris aptè*
Quæ sit natura, an primus sit sanguinis autor,
Scilicet ostendis, Patris te tendere ad Artes
Queis per terrarum præclarus claruit orbem
Mox fiet patriam ut renoves famamque decusque:

M. Philip. Jacob. Winckler/Austr.
SS. Theol. Stud.

SO windet nur den Krantz/ Ihr wehrte Charitinnen/
Es seind nun fast erreicht die höchstbeliebte Zinnen
Deß edlen Helicons/ bereits ist nun erlangt/
Worin die Tugend sonst/ worin die Weißheit prangt;
Herr Rayger lasset sich jetzt wenig mehr verweilen/
Es gleichet seine Reis den allerschnellsten pfeilen/
So je die Lufft erkandt: Wolan! Er steigt entpohr!
Der Edle Rayger schwingt Sich auch dem Adler vor!

J. P. S. *Med. Stud.*

FINIS.

ULB Halle 3
003 882 810

(f) 56

K017

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-564828-p0051-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-564828-p0052-4

DISSERTATIO ANATOMICA

De

IECORE

Quam

Divina favente gratiâ

In inclyta Argentoratensi Academia

SUB MODERAMINE

JOANNIS ALBERTI

SEBIZII, MEDIC. DOCTORIS,

ANATOM. ET BOTAN. PROFESSORIS ORDINARII,

In solenni Eruditorum congressu defendere conabitur

FERDINANDUS RAYGER,

Viennensis-Austriacus.

Ad d. 21 Mensis Iunij.

ARGENTORATI,

Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. LV.

35.

1655 17.

35.